UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Judas Der Ertz-Schelm/ Für Ehrliche Leuth/ Oder Eigentlicher Entwurff/ und Lebens-Beschreibung deß Jscariothischen Bößwichts

Worinnen unterschiedliche Discurs, sittliche Lehrs-Puncten/ Gedicht/ und Geschicht/ auch sehr reicher Vorrath Biblischer Concepten; Welche nit allein einem Prediger auff der Cantzel sehr dienlich fallen/ der jetzigen verkehrten/ bethörten/ versehrten Welt die Warheit under die Nasen zu reiben: ...

Abraham <a Sancta Clara>

Bonn, 1687

Approbatio Reverendi Patris Provincialis.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-59519

Visual Library

Cenſura Reverendiſſimi Metropolitici Conſiſtorii Salisburgenſis.

MAlos non gratis eſſe in hoc mundo, ſed boni aliquid de illis agere DEUM, argumento nobis eſt *Tractatus de Juda Nequam*, cujus Primam Partem de mandato *Reverendiſſimi Officii* à me lectam & relectam contra orthodoxam Fidem vel bonos mores nequaquam argui, ſed vel ideo imprimi poſſe cenſeo, ut quia Judas corripi nequit, qui jam eripuit medius, aut malus exinde corrigatur, aut juſtus per illum exerceatur.

SEBASTIANUS MAYR, SS. Theol. & Can. Doctor, Celſis. ac Reverendiſs. Principis, &c. Conſiliarius Conſiſtorialis, necnon B. V. M. ad Nives Canonicus.

Approbatio Reverendi Patris Provincialis.

EGO infra ſcriptus facultatem lubens libens impertior, ut Judas Proditor in lucem prodeat, dummodo qui loculos habuit, oculos non offendat, idcircò eundem Patribus ad id deputatis juſtâ trutinâ ponderandum confidi.

Fr. AMBROSIUS à S. Maximiliano Fr. Erem. Diſcal. S. Auguſt. Provincialis per Germaniam.

APPROBATIONES THEOLOGORUM.

DE Traditione peſſime tradidiſſe optimè R. P. noſtrum Abrahamum à S. Clara, luculentum perhibet teſtimonium opus præſens, quod juſſu R. P. Ambroſii à S. Maximiliano Provincialis noſtri per Germaniam accuratè perlegi, nil orthodoxæ fidei diſſonum, verùm omnigena eruditione, parique doctrina refertum reperi; per conſequens huncce Iudam Chriſtiano ob futurum minimè, ſed profuturum maximè nullus dubito. Quare, ut prodeat, dignum cenſeo.

Fr. ELIAS à S. Ianuario Supprior, & Magiſter Novitiorum ad S. Annam Gracii.

APPROBATIO.

JUſſu R. P. Ambroſii à S. Maximiliano, Ordinis S. Auguſtini Prioris Provincialis Judam, ſub titulo den Ertz-Schelm redivi à me *lectum*, qui ſibi in *lectum* ſelegit *patibulum*, ac per *finem* ſibi *finem* accivit & *lethum*. Nihilominùs adinveni hujus Archi-*Nequam*, qui ſibi ipſi *diſplicuit* ſuſpendium quærens, *nequitias* caſtigatas moribus omnibus fore *caras*, ob *raram* tanti Authoris methodum, & *charas* ob variegata documentorum fluenta. Et licèt hic *adulterinus* Apoſtolus ſit *adultus tenebrarum* hoſpes, non *lucis filius*, quia *filium* vitæ ſibi ſuccidit *laqueo*; tamen in *lucem* ut prodeat, exinde meretur, cùm ſit omnigenis doctrinæ radiis *illuminatus*. Jam ſordet adagium, *rufam barbam*, quam ſua perfidia poſteris infamem fecit, raró *bonæ ſortis* eſſe; ego enim *mali* ſub eâ reverà offendi nihil, utpotè omnia fidei noſtræ, ac bonis moribus conſona. Imò illam hic exquiſitus ingenii partus à calore & pallore *auri* plurimùm commendat, quia in hoc *rufi barbato* non niſi *aureè cælatos* Chriſtianorum dogmatum conceptus, & ideò *totum optimum* reperi *celatum*. Quocircà Apoſtatam hunc *reprobum*, *improbum* Apoſtolum tot, & tantis refertum eruditionibus, minùs non, quàm *approbare* cenſui.

Fr. ALIPIUS à S. Barthol. Conc. Ord. ad S. Annam Gracii.